









1771.

1. Heise, Joanes Arnoldus: De re opificiarum Hamburgensium.
2. Winkler, Carolus Fidericus, Ord. jur. publicus: Programma:  
De aerarii securitatis contra incendiorum pericula  
proestanda causa constituti ordinatione a magistr-  
strata municipalis sine principis confirmatione  
nova promulganda.

1772. Mellmann, Joanes Fider.: Commentatio hermeneu-  
tica juris ecclesiastici et Cap. V. §.: De sententia  
excommunicationis.

1773.

1. Fiedle, Joanes Joannem: Observationes et sententiae  
facultatis juridicae Halensis
2. Fiedle, Joanes Joannem: De havariorum discrimine  
in primis ex legibus nauticis Germaniae septem-  
trionalis
3. Fiedle, Joanes Joannem, Ord. jur. publicus: Programma:  
Comparatio juris nautici Osigenis et Hamburgensis

antiqui in materia H. kavariarum, Dissertationi  
in uny. Gulielmi Rudolphi Lischaff praemissum.

1773.

4. Winklerus, Carolus Fridericus: De erroribus praepositi  
licorum circa probationem in perpetuum rei  
memoriam.

5. Winklerus, Carolus Fridon, D. d. jur. Decanus: Programma  
de appellacione executionum sententiae hereditatis  
scriptae heredis possessionem adjudicantis neque  
hodie in foris Holsaticis impediende, diserte  
lucina in uny. Franci Fridon Lischhoff praemissum.

1775

1. Trendelenburg, Adolphus Frid: Selecta quaedam capita  
doctrinae: De jure possessionis circa fructuum percep-  
tionem

2. Trendelenburg, Adolphus Frid: De honorario ejusque a mercede  
discrimine

1776

1. Mellmann, Joannes Victorius: Oratio de causis juris incerti in creatione et inauguratione juris in Archicamerario seu protoetorio (Joannis Fiderici Schuabelii)
2. Mellmann, Joannes Victorius: Specimen I cautionum, quae in juris Germanici privati studio et applicatione sunt adhibenda. Prolusio, dissertationi inaug. Joannis Fiderici Schuabelii praemissa.
3. Mellmann, Joannes Victorius: De condictione curae legitimae, quae feminis subcensibus in patres et sorores male sese gerentes competit, unice et vero fundamento. ad art. 5 lit. 10 h. I. juris Lubecensis.

1777.

Koch, Joannes Christianus: De constituto sibi alieni ejusque ad fidei-jurione differunt

1778

1. Tensen, Fridericus Christophorus: De libera bonae vitae alienandi facultate in Holsteinia per speculum Hassovianum non restricta.

1778.

2. B. Mellmann, Trames Hibernicus: Biga orationum academi-  
carum.
3. Mellmann, Trames Hibernicus: De decisione censurarum  
ex legibus acquiri atque boni. Prorektoris h.t. oratio  
adhibita.
4. Musaeus, Fr. Emil Hunsicus: De causis praecipuis  
cur diversae Germaniae in pagos sensim desierit,  
sub interio lectionum hibernicorum commentatur.
5. Trendelenburg, Christoph Fridericus, Ord. jur. publicanus.  
Programm: De jure utraque gentilitii in praedictis  
nobilibus Hesvicentibus et Holsatibus non obtinente  
dissertationi Friderici Aristarchi Fenscu praemissa.
6. Winkler, Cornel Fridericus: De lucra ex confiscatione,  
an et quatenus in jure Hibernico patrimonialis  
percipiatur?



1794.

Cramer, J. G.: Ad historiam novellarum Turbinianis  
Temp. Analecta Literaria. Simulque ad Christiani III  
natalem celebrandum invitat.

1796.

1. Cramer, Henricus Frider. Christ.: De ultimis suppliciis  
in homicidii reo jure constitutendis.
2. Cramer, Andreas Gottlieb, Vid. jur. Notarius: Pro-  
gramma: De sigla Digestorum ff., dissertationi Henr.  
Frider. Christiani (Themen praemittitur).

1771

1771

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



RE OPIFFICARIA  
HAMBURGENSE

ANNO DOMINI MDCCLXXIII  
CAESAREAL CELSITVDINIS SERENISSIMI  
PRINCIPIS AC ELECTORIS

JOHANNIS PETRIDIS

PHYSICI, IN THEATRO  
HAMBURGENSEM, THEATRO DANICVM MAGNI DVCI  
HESSE, BRUNSVICIAE, SIPPIS DVCI SLESVICQVORVM  
HOSPITALI, STORMARIE, DITMARSCHEN COMITIB  
HAMBURGENSEM DELEGIORUM

SECRETARI ET CANCELLARI

JOHANNES ARNOLDVS HEISE

JOHANNES ARNOLDVS HEISE

PHYSICVS





DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE

RE OPIFICIARIA  
HAMBVRGENSI

QVAM

SVB AVSPICIIS CLEMENTISSIMIS  
CAESARAE CELSITVDINIS, SERENISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI

DN. PAVLI PETRIDIS

IMPERATORIAE CORONAE HEREDIS, IN THRONO  
SVCCessorIS, RVTHENORVM OMNIYM MAGNI DVCIS,  
HEREDIS NORWAGIAE, SVPREMI DVCIS SLESVICI, DVCIS  
HOLSATIAE, STORMARIAE, DITMARSIAE, COMITIS  
OLDENBVRGI ET DELMENHORSTI ETC. ETC.

RECTORIS ET CANCELLARII  
ACADEMIAE CHRISTIAN-ALBERTINAE  
MAGNIFICENTISSIMI  
EX DECRETO

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
PRO LICENTIA SVMMOS IN VTROQVE IVRE  
HONORES RITE CONSEQVENDI

D. XXXI. AVGVST. A. R. S. c<sup>o</sup> Iocclxxi

PVBELICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES ARNOLDVS HEISE  
HAMBVRGENSIS

KILIAE HOLSATORVM LITERIS BARTSCHIANIS.

INSTITUTIONS IN THE

RE OFFICIALIA  
HAMBURG

THE OFFICIALS OF THE  
CITY OF HAMBURG

THE HAMBURG

THE HAMBURG  
THE HAMBURG

THE HAMBURG  
THE HAMBURG

THE HAMBURG  
THE HAMBURG

THE HAMBURG  
THE HAMBURG



PATRI OPTIMO  
CAROLO IOANNI HEISE  
ARCHIDIACONO AD AEDES S. PETRI  
SUMME REVERENDO  
VIRO DE ECCLESIA SVA MERITISSIMO

PATER OPTIME!

**E**n filium Tuum post tot tantasque rerum vicissitudines in patriam reuertentem. O me felicem, cui denuo ad consuetudinem parentum fratrumque meorum quotidianam, mibi que iucundissimam redire, & simul cum illis pristina quiete atque felicitate frui, contingit. Recipias quaeso, recipias me brachiis in amplexum expansis, eodemque patrio animo, quo me olim peregre abeuntem abs Te dimisisti. Heu quae quantaque Tibi debeo. Quam studiose, quam fideliter perpetuo saluti prospexisti meae. Tam in formando animo, quam ingenio meo summam posuisti curam. Et ad efferendam, & conseruandam felicitatem meam omne consilium ac studium contulisti Tuum. Quoties ipse, consilii monitique Tui immemor, eam euersurus fuerim felicitatem. Sed Tu mibi illam conseruasti incolumem, mibi que, iterum iterumque peccanti, benignissime ignouisti. Deo O. M. adiuuante,

uante, Tua nunc quoque gratia, honore academico ornato, in patriam mihi redire licet. Accipe, Pater optime, hoc exiguum diligentiae meae specimen. Noli illam seuera ac graui iudicis attentione, sed indulgenti patris animo perlegere atque examinare. Mos patriae, Tuaque voluntas me reddiderunt autorem, ad quod autoris nomen, arrogantia & superbia commotus, nunquam aspirare ausus fuisset. Incertum Reip. literariae assensum, atque vanam autoris famam nullo tempore anxius & supplex quaeram. Tibi, Genitor dilectissime, Tibi, principibusque patriae meae viris quam maxime placere contendam. Te atque Matrem dilectissimam nunc mihi iterum amplecti licebit. Vobiscum laetus ero atque felix, eoque felicior, quo diutius Numen supremum carissimos mihi conseruabit parentes. Vivas, Pater optime, viuas patriae, & ecclesiae, & familiae, & mihi

Scripti  
Kiliae d. XXXI. Aug.  
MDCCLXXI.

filio Tuo obedientissimo  
IOANNI ARNOLDO HEISE.





SECT. I.  
DE IVRE OPIFICIARIO HAMBVR-  
GENSI IN GENERE.

CAP. I.  
INTRODVCTIO IN IVS OPIFICIA-  
RIVM HAMBVRGENSE.

§. I.

*Hamburgum legibus suis clarum.*

**H**amburgum jam diu eximiis statutis, cae-  
terisque floruisse legibus nemo facile  
ignorabit. Et quamquam hae leges  
haud adeo frequenter, vt Susatenses,  
Lubecenses & Magdeburgenses, ab aliis ciuita-  
tibus medio aeuo acceptae sint, tamen eadem,  
A 2 qua

qua istae, pollent autoritate. Optima rerum domesticarum dispositio, & inde oriens securitas, industria & libertas singulorum civium urbem Hamburgensem ita reddidit praeclaram, ut inter reliquas S. R. I. liberas civitates juste emineat (a). Quem quidem celeberrimum patriae statum non adeo urbi, commode ad commercium sitae, (quippe qua positione etiam plures Romani Imperii civitates gaudent); sed potius prudentissimae huic rerum domesticarum dispositioni debemus (b).

§. II.

*Inprimis constitutione de opificum collegiis 1710.*

Præ caeteris sine dubio ratio opificiaria, quæ Hamburgi est, securitati internæ, & tam priua-

(a) Attamen in comitiis imperii inferiorem eumque duodecimum locum in scanno Rhenano inter Bremam & Friedbergam ex rationibus peculiaribus occupat. vid. GODFR. DAN. HOFFMANN de instauratione suffragii comitialis S. R. I. liberae & immediatae civit. Hamb. §. 23. pag. 16.

(b) Summis justissimisque laudibus hic efferendus est cel. autor, qui statuta Hamburgensia diligentissime colligit atque accuratissime exponit, ejus collectionis substit. Sammlung der Hamburgischen Gesetze und Verfassungen jam nona pars edita est.

priuato, quam publico flori ciuitatis quam pluri-  
 mum prodest. Respiciamus ad priora tempora  
 & in omnibus ciuitatibus infaustissimas, & inte-  
 ritum rei publicae comminantes, opificum con-  
 tra magistratum seditiones videbimus. Et tan-  
 tum abest, ut Hamburgum majori opificum quie-  
 te & pace gauisum sit, ut potius miserrimum  
 seditionum & turbarum praebeat exemplum.  
 Merito igitur ad opifices, qui ob ipsorum nu-  
 merum & utilitatem magni in republica mo-  
 menti sunt, magistratum spectare, eorumque  
 ritus atque priuilegia prudenti lege determina-  
 re oportet. Post varias turbas inter ciues Ham-  
 burgenfes & inprimis inter opifices & senatum  
 ortas, tandem a commissione Imperiali, ad has  
 turbas componendas mandata, constitutiones  
 opificum emendatae, & abusus aboliti sunt.  
 Quem in finem ab Imperatore confirmata dispo-  
 sitio quaedam, Reglement der Hamburgischen  
 Nemer und Bruderschaften dicta, Hamburgi  
 1710. d. 4 Dec. promulgata est (a).

A 3

§. III.

(a) Vid. Samml. der Ham- introductionem in hanc di-  
 burgischen Gesetze P. I. p. 152. & spositionem.

§. III.

*Quae una cum S. R. I. constitutione opificiaria  
1731. coerces opificum abusus.*

Ipsa haec dispositio, egregium prudentiae  
legislatoriae specimen, atque formae ciuitatis  
Hamburgensis internae quam maxime conue-  
niens est. Plurimis etiam in locis constitutio-  
ni S. R. I. de abolitione abusuum opificiariorum,  
postero demum tempore 1731. promulgatae, re-  
spondet. Summa jam olim Imperii Germanici  
salus nefarios opificum abusus & infrenatam  
licentiam post tot tantasque per vniuersam,  
qua patet, Germaniam querelas supprimi depo-  
poscit. Quam ob rem jam 1671. in comitiis  
Imperii principes consilium conceperunt, quod  
vero postea dereliquerunt, & tandem 1731 per  
constitutionem Imperii, varie tamen immuta-  
tum, atque emendatum promulgauerunt (a).  
Caeterum ex isto consilio 1671. composito, com-  
missio Imperialis, quae Hamburgi fuit, eximium  
percepit commodum, &, quae inprimis vsui  
fuerunt, sanctioni inseruit Hamburgensi.

§. IV.

(a) Conf. Struuii systema jurisprud. opif. P. I. l. 3. c. 5. p. 114.

§. IV.

*Ordo dicendorum.*

Videamus igitur primo, ubi haec dispositio a constitutione Imperiali differat, & quid quid obseruatione dignum contineat; deinde autem de iurisdictione opificiaria, Hamburgi inprimis instituta, agamus.

§. V.

*Praeliminaris quaestionum per constitutionem Imperii derogatum sit constitutioni Hamburgensi.*

Sed cum constitutio Imperialis 1731. edita, post dispositionem Hamburgensem composita, & promulgata sit, & constitutionibus Imperii statutis ciuitatum nonnunquam derogetur, primo inquiramus: vtrum legi nostrae opificiariae per constitutionem illam Imperatoris statuumque Imperii derogatum sit nec ne. Quum sanctissimum illud & omnium prouinciarum salutis opificiariae conuenientissimum Imperii conclusum, clausulam, quam vocant saluatoriam, haud quidem contineat, adeoque statibus Imperii in  
 terris

terris suis per constitutiones contrarias illud infringendi, potestatem non concedat; nihilominus autem hinc viam, opificiarum rem in singulis suis terris in dies promovendi & meliorem eam efficiendi, non praecludat, sponte inde ad nostram quaestionem sequitur, magistratum civitatis Hamburgensis amplissimum, abusus constitutione Imperii per omnem Germaniam prohibitos neque inducere, neque sub praetextu privatae suae legis ulterius tolerare posse (a). Quae de re etiam magistratus Hamburgensis jam 1732 iterumque 1764 omnibus tribus suis istam Imperii legem promulgavit, easque huic morem gerere iussit (b). In caeteris vero lex nostra peculiaris omnino a concluso isto discrepare potest.

CAP. II.

DE IVRIBVS COLLEGIALIBVS  
OPIFICVM HAMBVRGENSIVM.

§. VI.

*Opifica aut libera sunt, aut curiata*  
(*freie und geünstete.*)

Opificibus, quaevis Respublica ad salutem publicam conferuandam, magis magisque effe-  
rendam

(a) conf. ccl. Frickii (b) conf. Sammlung der Grundsätze des Rechts der Handw. Hamb. Gesetz P. I. pag. 154. werker §. 18.

rendam plane atque omnino carere nequit. Recipit autem ciuitas opifices duplici modo: Aut enim quilibet, qui de industria atque habilitate sua periuasum sibi habet, atque per acquisitum jus ciuitatis, etiam libertatem, victum in ciuitate quaerendi, sibi acquisiuit, libere ad opificium admittitur; aut praeterea requiritur, vt artis opificariae specimen ante oculos artis peritorum proponat. Priori casu opificium vocatur liberum (*ein freyes Handwerk*) quod cuique iure ciuitatis exercere licet. Posteriori autem nemini opificum in ciuitate opus suum facere permissum est, nisi antea coram caeteris artis peritis industriae atque habilitatis suae ediderit specimen. Qua de re artis peritis opificibus, in eodem loco ad artem opificariam incumben-  
tibus, bannum concessum est opificiarium (a). Quod jus prohibendi opificibus solis, in eadem ciuitate degentibus, jus opera opificaria venalia habendi, vel pro pretio faciendi, tribuit, ad-  
eoque omnes, qui in eandem societatem bannariam recepti non sunt, arcet. Quanquam etiam in Germania jam prius, quam vrbes conditae sint,  
B opifi-

(a) AD. BEIER de iure opificibus & in opifices Jen. prohibendi quod competit 1683. & 1721. 4.

opifices fuerint (b) duodecimo tamen seculo prima illis forma concessa est collegialis (c). Vi hujus concessionis certis conveniunt temporibus, de rebus, ad opificium pertinentibus, deliberant, nec non leges conventionales, vulgo *Zunungs-Artikel* seu *Amtsrollen* dictas, constituunt (d), quibus vero legibus ipsi soli earum conditores, non autem ciues reliqui extra opificium subjecti sunt. Horum opificum, forma collegiali & banno opificiario praedictorum, societas collegium opificum curiatum (*ein gemeinschaftes Handwerk*) vocari solet.

§. VII.

*Quinam opifices Hamburgi gaudeant banno opificiario.*

Non omnes vero Hamburgi opifices jure gaudent opificiario, sed illi tantum, qui ab Imperiali Commissione confirmati sunt. Omnibus opificibus terminus constitutus fuit praecclusivus, intra quem leges suas conventionales, & reliqua privilegia, coram Commissione originaliter

(b) Vid. L. Sal. Tit. II. §. 5.  
& Hundius in *Metrop. Salisb.*  
T. I. p. 227. T. II. p. 372.

(c) Vid. MEIBOM. in rebus

Germ. T. II. p. 329.

(d) Vid. IOH. OTTO LUTTERLOH de stat. colleg. opificum. Goett. 1759.



liter producerent. Quarum legum & priuile-  
giorum auctoritate publica confirmatum exem-  
plar Commissio Imperialis retinuit, veteresque  
leges conuentionales, tam nouas addendo, quam  
veterum abusus abrogando mutauit, atque has  
ita immutatas & confirmatas singulis reddidit  
collegiis. Omnia igitur collegia, quae tunc tem-  
poris, vel nullis gausa sunt priuilegiis, vel ea  
saltem intra terminum non producerunt, nullum  
jus tribus sibi vindicare possunt, & vnumquem-  
que iure ciuitatis praeditum, eadem opera face-  
re venaliaque habere, pati debent. Haec enim  
sunt opificia quae libera vocantur, (a) atque ma-  
gistratui, ciuitate infcia nec consentiente, noua  
opificum collegia instituere non licet.

§. VIII.

*Extra urbem opificia libera.*

Tribus tamen opificiariae, quoad urbem  
tantum, his iuribus & priuilegiis praeditae sunt.  
Extra urbem omnia opificia sunt libera. Sed ea  
urbanis se immiscere, & opera sua in vrbe ve-  
nalia habere nequeunt (a). Nullus igitur ciuis,  
exceptis ptochiis & nosocomijs, horum opificum  
B 2 extra

(a) conf. Reglement Tit. I.  
art. 1.

(a) conf. Reglement Tit. X.  
art. 5.6. & Tit. XI. art. 5.

extra urbem degentium, opera uti potest (b).  
Tribus enim opificiarie contra extraneorum  
opificum irreptionem, jure, in aditu urbis (att  
Thoren und Bäumen) visitandi gaudent.

§. IX.

*Tormentariis militibus urbanis & vigilibus  
nocturnis opificio interdictum.*

Quamquam alibi militibus ob exiguam eorum mercedem opificium, quod didicerunt, propria autem manu & absque seruis opificiariis exercere concessum sit; Hamburgi tamen tormentariis, militibus urbanis, atque vigilibus nocturnis, sub poena dimissionis quolibet opificio interdictum est. Nulli igitur opifices clandestarii inter illos tolerantur. Causa hujus constitutionis in certa & fixa eorum mercede posita est. Quae cum ita sint, jure meritoque aequus rerum arbiter prohibitioni huic subjunxit exceptionem, militibus opificium tum exercere permissum esse, cum merces illis justo tempore non solueretur (a).

§. X.

(b) conf. Reglement Tit. X.  
art. 7. Tit. XI. art. 6.

(a) conf. Reglement Tit. X.  
art. 9.

§. X.

*Artifices liberrimum artis suae exercitium habent.*

Praeter hos opifices omnibus etiam artificibus liberum artis exercitium concessum est (a). Artifices illi vocantur, qui ea opera faciunt, quae praecipuam artem & industriam postulant, atque a caeteris opificibus, vel penitus, vel certe tam egregie & artificiose effici nequeunt (e. g. statuarii, chalcographi & horologii confectores.) Quibus autem illi opifices non annumerandi sunt, qui superbia & nimia fiducia commoti, hoc sibi nomen vulgo tribuunt (b). Omnis inprimis Respublica id agere debet, vt bannum opificiarium saluti publicae quam minimum adferat detrimentam, & quanquam hoc jus prohibendi vna cum jure collegiali moribus atque priuilegiis, opificibus concessum sit, minime tamen contra hos artifices exercendum est, qui potius, concessa libertate & quiete, ad florem officinarum & totius commercii quam maxime adliciendi sunt.

B 3

§. XI.

(a) conf. Reglement Tit. XI. art. 8.

(b) conf. Struuii syst. jurispr. opif. L. I. c. 1. §. 27. p. 13. L. IV. c. 1. §. 6. pag. 286.

§. XI.

*De Magistris liberis Hamburgensibus.*

Saluberrimis hujus constitutionis institutis, etiam hoc merito annumeratur, quod Tit. X. art. 2. & 3. legimus. Qui enim opificium vel Hamburgi, vel alibi ab opifice regulari didicerunt, atque illud per spatium legitimum, singularum trium articulis definitum, ut boethi peregrinando exercuerunt, ac denique utrumque, nempe tyrocinium, tyrocinii literis (*Lehrbrief*) & peregrinationem testimonio ultimi, cui operas locarunt, magistri (*letzte Rundschaft*) coram collegii patronis & senioribus probant, simulque, producto in senatu patroni documento, super rite peracta probatione, & praestito juramento ciuico, jus ciuitatis sibi acquirunt, opificium extra collegium liberrime exercere possunt (*arbeiten auf ihr Bürgerrecht.*) Quotannis tamen collegio, ad quod opera eorum referuntur, certam pecuniam, cujus partem camera ciuica, partem arca collegii (*Amtslade*) (a) accipit, soluere debent,

(a) Quae arca vel in aedibus collegii, vel in domicilio senioris, qui etiam (*Gildemeister*) dicitur, seruatur, & leges conuentionales (*Amtsrollen*) magistrorum, & tyronum alba (*Matrikel*) natiuitatis & tyrocinii literas (*Ge-*

bent, neque tyrones & boethos habere possunt. Praestantissima hujus constitutionis emolumenta sunt. Ita enim omnibus opificibus, qui propter paupertatem artis specimen (Meisterstück) efficere, atque jus collegii sibi emere nequeunt, soluta pecunia & impetrato jure ciuitatis opificium exercere licet. Inde praeterea opificum numerus in egregium ciuitatis commodum augetur. Inprimis quoque collegiorum pertinacia hac infringitur constitutione. Haec enim collegia saepissime ita difficilia & peruicacia sunt, ut opera, eo modo, eaque forma, qua desideratur, facere recusent, & de certo & constituto pretio inter se conueniant (b). Nunc autem cuique, vel opificis ex collegio, vel istiusmodi liberi magistri (Freymeister) opera uti licet (c).

§. XII.

*De Patronis collegiorum.*

Quodlibet opificum collegium patronum, qui etiam aliis locis (Morgensprachsherr) dicitur, &

burts, und Lehrbriefe) testimonium de operis ac moribus singulorum boethorum, (Kundschaften) atque res & pecuniam collegii continet. (b) Quod vero illis, con-

cluso Imperii a. 1731. promulgato art. XIII. quam maxime prohibetur. (c) conf. Struuii Systema jurisprudentiae opificiariae P. II. L. 5. c. 9. pag. 399.

& seniores habet. Patroni jura collegiorum defendunt, comitiis annuis, quae alias (*Morgensprachen*) (a) vocantur, praesident, cum senioribus primam instantiam jurisdictionis officinae exercent, atque constitutas multas accipiunt, quarum rationem partim aereo collegii, partim camerae reddunt civicae. Omnes hi patroni senatores sunt Hamburgenses, quorum quilibet aut unus, aut plurium collegiorum advocatiam (*Patronage*) gerit. Pro opera autem, quam rei officinae dant, per annum donum accipiunt gratuitum, quod non quatuor thaleris minus, neque majus, quam duodecim esse potest. Ex dispositione constitutionis quidem 1710 per sortem creati fuerunt (b); postea vero idem patronatus, cum eadem dignitate senatoria jam semper conjunctus fuit. Novus itaque senator eorum collegiorum, quae cum dignitate sua senatoria conjuncta sunt, hodie fit patronus.

§. XIII.

*De Collegii senioribus.*

Omnibus & singulis collegiis vnus vel duo praesunt seniores (*Ältesten*,) qui jura collegiorum tuen-

(a) De his comitiis vid. infra §. XIV.

(b) Vid. *Reglement* Tit. V. art. 2.

tuentur, ea in negotiis tam judicialibus, quam  
 extrajudicialibus defendunt, & arcam opificia-  
 riam custodiunt. Olim quoque primarii senio-  
 res (*Oberalten*) fuerunt, qui vero lege ista pe-  
 nitus remoti sunt. Variis quidem in locis e ma-  
 gistrorum numero ii, qui sunt aetate inter illos  
 seniores, ipso jure collegii praefecti seu senio-  
 res fieri, & hoc munus, quamdiu viuunt, ad-  
 ministrare solent. Hamburgi tamen quotannis  
 a collegiis sc. a patrono, nouissimis senioribus &  
 assessoribus in comitiis opificiariis eliguntur.  
 Quae institutio, senioribus tantum annum mu-  
 nus concedens, procul dubio praestantissima est.  
 Vbi enim locorum seniores, per omnem vitam  
 suam collegiis praesunt opificiariis, ibi quam fa-  
 cillime nimium sibi juris arrogat, & quam fa-  
 cillime aduersus jura legesque collegiorum agunt.  
 Quod quidem in senioribus Hamburgensibus  
 annua tantummodo potestate gaudentibus mini-  
 me locum habet. Ibi enim vis & auctoritas eo-  
 rum, praeter hanc institutionem, caeteris quoque  
 legibus sapientissime limitata est, atque consen-  
 tiente tantum & determinante patrono, pro  
 praemio & animi relaxatione partem quandam  
 accipiunt mulctarum.

C

§. XIV.

§. XIV.

*De conuentibus opificiariis.*

Comitia opificiaria (*Morgensprachen*) vel ordinaria sunt, quibus certo anni tempore, vel extraordinaria, quibus extra ordinem temporis, & non nisi ex permissione magistratus, conuocati conueniunt. In illis nomine principis, aut senatus ciuici, ad salutem ciuitatis tuendam, persona quaedam publica adfit necesse est. A seniore magistrorum indicuntur, quo facto in aedibus collegii vel domicilio senioris conueniunt opifices, & sub poena certae mulctae iusto tempore & sine instrumentis lethalibus conuenire debent. In his comitiis, de re communi deliberant & per pluralitatem votorum constituunt. Hamburgi conuentus hi ordinarii semel tantum per annum, praesente patrono, instituuntur.

§. XV.

*De banno opificiario.*

Bannum opificiarium, vel jus opifices clancularios prohibendi, ad omnes rixas & turbas euitandas, accuratis & sapientissime constitutis terminis Hamburgi circumscriptum est. Quid sit jus prohibendi iam supra §.vi. vidimus, & hoc iure opifices tantum clancularios, quo minus opera venalia



naliam habeant, vel pro mercede faciant, prohiberi animaduertimus. Quam ob rem vnicuique patrifamilias pro se & familia sua quaecumque opera, propria tamen manu, & sine boethis, facere licet. Hoc vero jus prohibendi, plerumque non solum urbem sed etiam pagos, vrbis vicinos, comprehendit, & nonnulli tantum opifices necessarii, vt futores, factores alique in pagis tolerantur. Collegium quidem ipsum clancularios admonere, simulque illis comminari potest, perquisitio tamen & visitatio aedium & tabernarum (die Haussuchung) non nisi auctoritate magistratus (a), & praesente lictore fieri debet. Si tunc opifices collegii instrumenta artis & opera, ad collegium pertinentia, apud hos clancularios inueniunt, iuste ea pignerari possunt. Clanculariis quidem prima vice ea redimere licet, secunda tamen confiscantur, vel potius, donec causae cognitio habita fuerit, apud magistratum deponuntur. Denique autem instrumenta & opera non solum auferuntur, sed ipsi clancu-

C. 2

(a) conf. AYRER progr. de Systema jurispr. opific. Tom. I. L. 4. c. 5. §. 11. MEVIUS ad sequendos opif. turbator. nec Jus Lubec. L. IV. Tit. 13. art. permiffa, nec permittenda, 3. n. 35. p. 842. Goetting. 1752. 4. STRVII



clancularii, simul cum pignore, magistratui ad custodiam traduntur, cui deinde pignus, causa contra clancularium excidente, deductis tamen sumtibus (b) pignerationis a collegio factis, loco poenae cedit (c); aliis tamen locis fiscus & arca illud inter se diuidunt (d). Ipse autem clancularius opifex, vel mulcta, vel carcere, vel etiam relegatione a magistratu punitur. Hamburgi similiter quoque collegiis, permitte tantum consule, qui eo anno praesidium habet, & praesente lictore, visitare & inquirere licet, & quam maxime, clancularios propria auctoritate, vel in aedibus vel in platea aggredi, verberare & vulnerare prohibetur. Auctoritate tamen consulis quatuor collegii magistri cum lictore aedes & tabernas clanculariorum opificum turbatorum visitare possunt, qui illis omnes aditus omniaque armaria aperire debent, & cum nolint, primo quidem mulcta tantum puniuntur, postea autem coram magistratu a fiscali accusantur. Instrumenta & opera apud turbatores inuenta, & pignerata, a lictore designantur,

(b) Omnes enim expensae tam in visitationem & pignerationem quam in ipsum processum factae, ex bonis clancularii solui debent.

(c) conf. STRUVII Systema jurispr. opif. Tom. II. L. 4. c. 13. & Tom. III. L. 5. c. 1.

(d) conf. ADR. BEIER de instrum. opif. c. 10. §. 6. p. 183.

tur, & cum designatione patrono traduntur. Quorum pignorum & mulctarum partem dimidiam collegium, dimidiam vero patronus accipit, cujus rationem camerae ciuicae reddere debet. Turbatores ipsi prima vice decem thaleris, secunda, poena dupli, & postea pro ratione criminis seuerius puniuntur.

§. XVI.

*Num magister quis esse possit in duobus collegiis.*

Accuratissime denique constituit haec dispositio Hamburgensis, jura & obligationes quibus magistri, boethi & tyrones inter se tenentur, & quorum singularia quaedam tantummodo animaduertere volumus. De Magistris nimirum constitutum legimus, neminem simul duobus inesse posse collegiis. Hic itaque, quod vero praecipue notatu dignum est, ad rationem, quae apud Romanos erat, officariam se referens jus Romanum l. i. D. de coll. & corp. nude approbatur (a).

§. XVII.

*De boethis Hamburgensibus, eorumque feriis & imprimis de feriatiōe diei lunae.*

Boethi Hamburgenses sine permissione magistratus nullas ferias (Krug- und Recreations-  
C 3 Tage

(a) Nouissimum hac de re *Weslar. Nebenst.* P. 110. exemplum vid. CRAMERS p. 189.



Sage oder so genannte Hage) celebrare audent. Vilitatae tamen & ordinariae feriae, atque extraordinariae, quarum permissionem a magistratu obtinuerunt, adhuc hodie illis concessae sunt. Quarum itaque feriarum legitimarum ratione magistri de eorum mercede nihil detrahere possunt, at e contrario in feriatione diei lunae, & in reliquis feriis illicitis mercedem iuste retinent. De feriatione istius diei jam olim quam maximae, & iustissimae ortae sunt querelae, & conclusum Imperii 1731 art. ix. eam quidem interdixit, communi tamen abusu fere vbique vsque ad hodiernum diem seruata est. Nunc demum Rex Borussiae hanc rem in comitiis Imperii mouit, & vt noua atque grauior super hac feriatione per Imperium promulgaretur constitutio, Imperii principes admonuit. Vi potestatis territorialis quidem vnicuique Imperii principum, & liberarum Imperii ciuitatum magistratui hunc abusum intra fines suos abolere licet. Cum autem omnes opifices per totam Germaniam, his vniuersis moribus atque obseruantis inter se connexi sint, prudentissime principes in hac feriationum abolitione agere debent. Quam facillime enim boethi talibus abrogationibus & nouis siue renouatis institutis, iura & priuilegia sua laesa esse credunt,

dunt, & ex illius principis territorio quasi sacri-  
lego bonis cum auibus migrant. Optimo igitur  
effectu & absque periculo ciuitatis tales abu-  
sus derogandi erunt, cum omnes Imperii status  
in comitiis sese jungant, eosque abusus per  
omnem Germaniam defendant, atque huic in-  
terdicto vt stricte obtemperetur, in territorio  
suo prospiciant.

§. XVIII.

*De boethis magistrum deserentibus.*

Hoc etiam Hamburgi singulare est, boe-  
thum, si officinam magistri sua auctoritate dese-  
rit, & magister ipsum recipere non vult, intra  
hebdomadem urbem relinquere debere, neque  
alii magistro hunc boethum in domum & officinam  
suam recipere licere.

§. XIX.

*De tyromibus aufugientibus.*

Quum vero tyro proterue aufugiat, com-  
muni opificum iure nondum decisum est, num  
magister inuitus recipere fugitium redeuntem  
cogatur (a) Id certum est, eum omne didactrum  
accipere, nisi tyronem nimia saeuitia innumeris-  
que

(a) conf. STRVVII Systema jurispr. opific. T. II. L. 2. C. 8. §. 9.

que verberibus ad fugam incitauerit, quo in casu haec omnia prudenti magistratus arbitrio merito relinquenda sunt (b). In Constitutione tamen Hamburgensi decisum legimus, magistrum, ut tyronem, quum ipse proterue aufugiat, vel magister eum grauibus rationibus (e. g. perfidia & furto) commotus officinam depellat, recipiat, cogi non posse.

SECT. II.  
DE JURISDICTIONE OPIFICIA-  
RIA HAMBURGensi.

§. I.

*De jurisdictione collegiis olim propria.*

Collegia olim opificum propter autonomiam, collegiis & societatibus propriam, sibi quoque vindicauerunt jurisdictionem, quae autem variis & perniciosissimis viam patefecit abusibus. Tunc enim opifices non solum pro lubitu in violationem legum suarum conuenientialium graues constituerunt poenas, quas ipsimet in transgressores executi sunt, sed adeo sese magis magisque, ordinariae magistratus jurisdictioni subdlexerunt, ut opifices singulorum collegiorum in omni-

(b) conf. STRVVI Systema jurispr. opific. Tom. II. L. 2. C. 10. §. 5.



omnibus causis, vel ad opificium, vel non pertinentibus coram arca in jus vocauerint, & praeterea ab hac collegii arca, ad externa iudicia collegiorum suprema (*Oberzunftstuben*) vel arcas primarias (*Haupt- und Crayßladen*) quae olim in prouinciarum seu circulorum ciuitatibus erant primariis, temere appellauerint.

§. II.

*De abolitione horum abusuum per conclusum  
Imp. de a. 1731.*

Hos abusus salutare Imp. conclusum plane abrogauit, & haec collegiorum iudicia suprema (*Oberzunftstuben*) iurisdictioni principis territoriali imprimis contraria, penitus sustulit (a). Reliquit quidem opificibus quandam puniendi permissionem, restrinxit vero eam ad exiguas multas in criminibus collegialibus (*Sinnungsverbrechen*) quae collegii opifex contra leges conventionales committit, & simul ad quemcunque abusum euitandum constituit, vt haec poenae collegiis propriae, non a magistris solis, sed senioribus & patronis praesentibus irrogentur. Omnes igitur causae, quae maioris momenti sunt,

(a) Vid. *Reichschluß* de stema jurisprud. opif. Tom. I. a. 1731. art. 6. & *Struuii* sy- L. 3. cap. 6. theor. 2.

sunt, & crimina grauius punienda (e. g. carcere, ejectione ex collegio) non ad arcam collegii, sed ad ordinariam magistratus jurisdictionem pertinent (b).

§. III.

*De jurisdictione opificiaria Hamburgensi.*

Ab his Imp. conclusi constitutionibus dispositio Hamburgensis quam maxime differt. Haec enim jurisdictionis opificiariae fines amplius extendit, & singulare forum constituit opificiarium. Omnes nimirum causae, tum quae ad leges opificum conuentionales, vel ad alias civiles causas respectu rei opificiariae pertinent, tum quae inter opifices solos, seu inter hos, aliasque personas extra collegium oriuntur, coram arca opificiaria aguntur. (a). Neque solum crimina contra leges conuentionales minora, quae multa tantum puniuntur, sed grauiora quoque (e. g. ejectione magistri ex collegio) coram arca decidi possunt. Cui vero iudicio collegii patronus, senioresque praesident.

§. IV.

(b) Vid. *R. Schl.* art. 2. *Ord.* 1530. Tit. 34. §. 1. approbatam esse inuenimus.  
 (a) Hic itaque *R. Pol.*



§. IV.

*De forma processus coram arca opificiaria.*

Actio coram arca instituitur summaria. Aëtor coram iudicio oratione postulare, ipseque adesse, aut amici auxilio uti debet. Procuratorem vero, quo magis cauillationes, dilationesque euitentur, constituere non licet. Quodsi vero ciuis, qui collegio non inest, contra collegii opificem agere vult, ideoque procuratorem constituit, opificem quoque procuratore uti fas est.

§. V.

*De sententia definitiua, & licita  
appellatione.*

Quodsi itaque partes in iudicio rite constituto, vsque ad duplicas causam peregerunt, terminus ad eas conciliandas praefigitur. Quo facto a patrono, amicabili compositione frustrata, sententia pronuntiatur definitiua. Qua autem sententia, si partes se grauatas existiment, libere ad iudicium opificiarium superius (Amtsgericht) prouocant, nisi forsan in patronum & magistros compromiserint. Quod si fuerit, in illorum laudo absque vlla vltiori appellatione, acquiescere illas jus commune iubet.

D 2

§. VI.

S. VI.

*De iudicio opificiario Hamburgensi,  
vulgo Amtsgericht.*

Secunda itaque in rebus opificiariis instantia est iudicium peculiare opificiarium (*Amtsgericht*). Cum enim olim in istis rebus opificiariis lites nonnunquam ad conuentum ciuicum protraherentur, praeterea autem ordinarii iudicis vires ad tot opificum altercationes vix sufficere viderentur, peculiare hoc rei opificariae constitutum fuit iudicium. Praesidet autem huic iudicio nouissimus consul literatus, qui eo tempore senatui non praesidet. Praeter illum adsunt quatuor senatus deputati (*Wedde-Herren*) duo juris consulti, qui demum in inferiori iudicio (*Niedergericht*) fuerunt, duo quindecimuii (*Obersten*) & quatuor collegiorum seniores, qui singulis annis a caeteris iudicii membris per suffragia eliguntur. Caeteroquin quoque huic iudicio proprius constitutus est actuarus, qui iisdem, quibus inferioris iudicii actuarus adstrictus est officiis (a). Semel in hebdomade seu die martis seu sabbathi ab octaua hora matutina vsque ad

(a) conf. STEPH. CHRIS- tianus actuarii Hamburgensis.  
STEPH. HARPRECHT de Kiel. 1726.  
HARPRECHTSTEIN diff. de

ad nonam conueniant. Partium causae sicut in iudicio superiori & inferiori, pariterque aduocatis adhibitis & procuratoribus aguntur, partibus tamen ipsis quoque causam suam absque aduocatis & procuratoribus perorare concessum est. Ultra duplicas litem extendere non licet, nisi grauitas causae vltiorem disceptationem desideret. Quibus legitime peractis conclusio fit causae & consul praeses, vnum e iureconsultis assessoribus qui litis summam referat, constituit. Is relationem ipsam cum rationibus dubitandi & decidendi actis inferere debet, & tunc sententia pro re nata sequitur, eaque vel probationem injungens interlocutoria, vel in rebus liquidis definitiua. In primis vero quaelibet causa conclusa, quae sententia interlocutoria seu definitiua decidenda est, vltra quatuor hebdomadas protrahi non debet.

§. VII.

*De Appellatione ab hoc iudicio ad iudicia superiora.*

Ab hoc peculiari iudicio opificiario, ad iudicium superius (allgemeine Obergericht) partes appellare possunt; quod itaque iudicium tertia in causis hisce opificiarius est instantia. Hoc quidem appellationis beneficium tunc demum concessum est.

D 3

est.

est, cum summa, de qua lis est, centum thaleris haud inferior sit. Cum autem res in iudicio quoque superiori decisa & quoad qualitatem & summam communem appellabilis sit, denuo adhuc ad iudicia imperialia pars grauata transire potest (a). Quodsi autem ea sit causae indoles, vt appellationis beneficium locum non habeat, nihilominus tamen ad reuisionis remedium vt commune solatium via patet (b).

§. VIII.

*Singularis haec iurisdictio opificiaria Hamburgensis haud immutata est.*

Haec denique res in quaestione versatur, annon dispositio Hamburgensis de 1710 quoad hanc singularem constitutionem iurisditionis opificiariae Imp. concluso de 1731 emendata, & adeo mutata sit, vt nempe in posterum istae saltem causae opificiariae, quibus personae, quae collegio non insunt, contra collegii opifices agunt, non a patrono & senioribus, sed statim in prima instantia a iudice ordinario decidendae sint, atque vt patronus senioresque nonnisi ea  
opifi-

(a) Quam tamen appellationem cancellis Rec. Imp. nouissimi §. 106. adstrictam esse, vix est, vt moneam.

(b) conf. Recept. Imp. Nouiss. §. 113. & Rec. Deput. 1600. §. 16.

opificiaria crimina dijudicare possint, quae modica tantum mulcta pnniuntur. Dispositionem Hamburgensem hic quoque constitutione Imperii mutatam non esse merito respondemus. Constitutio enim Imperii tantummodo abusus jurisdictionis abrogauit opificiariae. Qui autem abusus in ciuitate Hamburgensi jam a Commissione abrogati sunt Imperiali, quae simul jurisdictionem opificiariam saluti ciuitatis conuenientem reddidit. Quam ob rem constitutione Imp. hoc in casu vrbs Hamburgensis minime tenetur. Praeterea hoc certum est, status Imp. eos abusus constitutione Imp. abrogatos, qui aliis quoque ciuitatibus, inprimis vicinis noxii esse possint, minime conseruare nec introducere posse, quamquam abusus, qui non vicino, sed ipsi tantum statui Imp. nocent, omnino tolerare possit. Quamuis igitur in ista jurisdictione Hamburgensi quidam abusus (id quod dici minime poterit) laterent, ciuitas tamen ipsa tantummodo Hamburgensis sentiret detrimentum. Denique quoque Imp. conclusum, arcas quidem primarias & secundarias penitus abrogauit, simulque vero vni cuique Imp. statui arcas domesticas saluti publicae conuenienter adornandi jus haud ademit, quin potius expressis verbis concessit (a).

(a) Vid. Reichs Schl. 1731. art. 6.

Handwritten marginal notes on the right edge of the page, including the number '10' and other illegible characters.

Kiel, Diss.; 1777-1800

ULB Halle

002 513 005



3

f

5b.







DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA

DE

RE OPIFICIARIA  
HAMBURGENSE

QVAM

SVB AVSPICIIS CLEMENTISSIMIS  
CAESARAE CELSITVDINIS, SERENISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI

DN. PAVLI PETRIDIS

IMPERATORIAE CORONAE HEREDIS, IN THRONO  
SVCCESSORIS, RVTHENORVM OMNIVM MAGNI DVCIS,  
HEREDIS NORWAGIAE, SVPREMI DVCIS SLESVICI, DVCIS  
HOLSATIAE, STORMARIAE, DITMARSIAE, COMITIS  
OLDENBVRGI ET DELMENHORSTI ETC. ETC.

RECTORIS ET CANCELLARII  
ACADEMIAE CHRISTIAN-ALBERTINAE  
MAGNIFICENTISSIMI  
EX DECRETO

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
PRO LICENTIA SVMMOS IN VTROQVE IVRE  
HONORES RITE CONSEQVENDI

D. XXXI. AVGVST. A. R. S. cdo Idccclxxi

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES ARNOLDVS HEISE  
HAMBURGENSES

KILIAE HOLSATORVM LITERIS BARTSCHIANIS.

